

Viam, quam appellavit spiritualem. Et lib. 5. in Ezechielem cap. 16. ait Scripturas sacras tripliciter exponendas. Primum juxta literam. Secundo modo per tropologiam, seu moralem sensum. Tertio sublimius, aut mystice, D. Bernardus serm. 23 in Cantica, ait. In Scripturis tantum videtur agnoscere tres sensus D. Augustin. lib. unico de Genesi ad literam, in Scripturis agnoscit, Historiam tantum, & Allegoriam. Quomodo D. Dionysius de caelesti Hierarchia, Noster D. Cyrillus Alexandr. lib. 5. in Levitic. solum constituit Historicum, Moralem, & Mysticum. Hugo Victorin. in Prolog. in libros sacra Scriptura, tres tantum sensus numerat. Historicum, Allegoricum, & Tropologicum.

D. Bern. D. August. D. Dion. D. Cyrill. Hugo.

135.

Respondetur, quod illa distinctio in quatuor membra assignata, est valde veritati consona, & multa commendatione digna, atque valde apta ad discernendos mysticos sensus Scripturae; & quamvis sub his nominibus, ac praeciso numero, ignota esset multis Patribus, qui frequenter solida veritate rem tractabant & non multa distinctioe adhibita, & inde promiscue, & sine discrimine, sub sensu mystico omnes alios sensus comprehendebant, & frequenter sub uno nomine duos sensus dicebant, quos postea Theologi maxime rem exticantes, ac explicantes dividerunt, quibus veluti metaphysicis distinctionibus, Patres non utuntur.

QUESTIO II.

Explicatur sensus litteralis, & multa, quae ad ipsum pertinent.

SUMMARIUM.

- 136 Definitio sensus litteralis.
137 Dividitur in sensum proprium, & metaphoricum.
138 Quid sit metaphoricus sensus, & n. 139.
140 Alia divisiones ad has reducuntur, & num. 141.
142 Sententia negans, quod sub eadem litera multiplex sensus contineatur.
143 Vera sententia affirmat, & multis exemplis probatur, n. 144. usque ad 150.
151 Respondetur ad argumentum contrariorum, & n. 152. 153.
154 In eodem Textu datur sensus litteralis cum metaphoricis.
155 Omnis locus sacrae Scripturae habet aliquem sensum litteralem, & n. 156.
157 Proponitur opposita sententia cum suis argumentis.
158 Respondetur ad argumenta, & ad illius confirmationem, & n. 159.
160 Multiplex sensus litteralis provenit ex infinita sapientia Dei.
161 Et ex verbis Hebraicis, ac eorum punctis, & n. 162.
163 Varietas in Textu Hebraico, & Septuaginta, quomodo habenda.
164 Provenit etiam ex variis disjunctionibus.

Definitio sensus litteralis.

Variae definitiones circa sensum litteralem circumferuntur, quibus omissis illa tenenda est, quae colligitur ex D. Hieronymo Epist. 150. ad Edibiam, quae 9. D. August. lib. de utilitate credendi, cap. 3. Origene lib. 5. Periarcho. cap. 2. D. Thoma quodlibet 7. quae 6. art. 14. & 15. & 1. part. quae 5. art. 10. ibi omnes ejus expositores, & interpretes, & talis est: Sensus Scripturae litteralis est, qui per verba scripta, sive in acceptione propria, sive in metaphorica sumpta ex intentione Spiritus sancti immediate significatur. Illa particula, qui per verba scripta significatur, ponitur tanquam loco generis ad sensum litteralem, & spiritualem, ex intentione Spiritus sancti, discriminatur ab humana Scriptura, quae spiritu humano est introducta. Cum dicitur, immediate ponitur distinctio ab spirituali sensu, qui non immediate ex verbis, sed mediantibus rebus per verba, aut voces significatis desumitur.

136.

D. Hieron. D. August. Origenes. D. Thom.

Divisio sensus litteralis.

Dicitur etiam acceptione propria, sive metaphorica. Propria est illa, quae verba per se, & immediate in proprio sensu significant. Sive Metaphorica: non solum in literis humanis, sed etiam frequenter in divinis proponuntur metaphorae, figurae, & parabolae, & id, quod ex primaria, ac principali intentione in eis significatur, & sensus litteralis est. Ita D. August. lib. contra Mendacium, cap. 10. & lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 5. & lib. 10. de Civit. cap. 14. D. Thomas 1. part. quae 1. art. 9. ibi Cajetan. Bellarm. lib. 3. cap. 3. & alii communiter, & ideo eorum frequens est usus ut mysteria divina saepe abscondantur, & ut ea, quae superbis sunt abscondita, revelentur parvulis, & ut ex humanis magis explicentur divina, quia ea, quae per parabolae, & figuras dicuntur, altius remanent in memoria impressa, & quia haec frequenter inserviunt ad majorem elegantiam, decentiam, ac delectabilitatem. D. Bernardus.

137.

D. August. D. Th. Caieran. Bellarm.

Generali nomine omnes tropi, metaphorae appellantur. Metaphora ita definitur a Divo Augustino lib. 2. contra Mendacium, cap. 20. tom. 4. Est de re propria ad rem non propriam, verbi alicujus usurpata translatio. Ac proinde ab omni re potest deduci metaphora, ut docet Cicero lib. 3. de Oratione, & tot erunt translationis modi; quot res, a quibus fieri potest translatio, ac proinde metaphora communiter datur, Cum unum dicitur verbum, & aliud sub illis intelligitur.

138.

D. Aug. Cic.

Probatur conclusio, quia in omni Scriptura, verba, seu eorum contextus, ad id quod primario, & immediate significandum instituitur, quia nisi id, quod sub tali metaphora, vel figura subintelligitur, assumatur, multa sequentur absurda. Sic dicitur Christus Dominus Leo, Agnus, Vitis, Lapis, Fundamentum, quod est dictum ad explicanda multa Domini attributa. Dicitur Leo ob generositatem, ac fortitudinem, Agnus ob humilitatem, ac mansuetudinem, Vitis ob fecunditatem, Fundamentum

139.

Ap. 4.

amentum, quia in ipso innitur totum adificium spirituale.

140. D. August.

An praeter hanc divisionem in propriam, & metaphoricam acceptionem, dentur aliae divisiones, videtur significare D. August. lib. de utilitate credendi, cap. 3. tom. 6. Ut sensus litteralis in historicum, Ethnologicum, & Analogicum Historicum est (sumpto Historici nomine, non in illa amplitudine, secundum quam omnis litteralis sensus historicus dicitur; sed pressius) qui simpliciter quid factum dictumve sit, enarrat, verbi gratia. In principia creavit Deus caelum, & terram, Gen. 1. num. 1. Sensus est Ethnologicus, qui rationem reddit dicti, vel facti, ut cum Matth. num. 21 dicitur: Vocabis nomen ejus Jesus. Et statim Angelus apponit causam, Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Tertius vero sensus. Analogicus est, qui utriusque testamenti convenientiam ostendit, ut cum Matth. 2. num. 17. Innocentium neces enarrantur, & statim convenientia cum dictis veteris testamenti apponitur: Tunc adimpletum est, quod dicitur per Jeremiam prophetam.

Genesi. 1. Matth. 1.

Math. 2.

141.

D. Thom.

Haec tamen omnes divisiones solum accidentaliter variantur, & unum tantum efficiunt sensum litteralem. Nec aliud voluit D. August. ut exponit D. Thom. quodlibet. 7. art. 10. in solutione ad 2. Deinde illa subdivisio non solum pertinet ad sensum proprium litteralem, sed etiam facile potest dari in sensu metaphoricis, seu figurato, ut observant Galarza lib. 2. Infruct. cap. 3. Rua tom. 2. controvers. 9. dub. 2. Fr. Anton. a Matre Dei Prael. 3. dub. 5. n. 31.

Galarza. Rua. A Matre Dei.

An sub eisdem verbis sacrae Scripturae multiplex sit sensus litteralis?

142. Medina. Payva.

Negantem sententiam tenent Michaël de Medina lib. 1. de recta in Deum fide, Payva lib. 1. c. 4. Fundantur in eo, quia si multiplex datur sensus litteralis, tota firmitas scripturae peribit. Nec obstat, quod Apostoli, & Evangelistae eundem locum veteris testamenti adducant ad varias conclusiones, & veritates probandas; nam frequentes scriptores sacri in rebus gravissimis, non solum ex sensu litterali, sed etiam ex mystico, sua argumenta, & rationes nectunt, Vasquez vero 1. p. quae 1. art. 10. disp. 17. cap. 3. ait, aliquando sub eadem litera plures litterales sensus contineri, quoties probabile est scriptorem secundarium omnes intellexisse, quia ponere multitudinem sensuum ei non ardet.

Vasquez.

143.

D. August.

D. Thom.

Abulens. D. Anton. Bañes. Zumel. Pessanti. Molina. Valentia. Andrea.

Vera, & communissima sententia est, sub eisdem scripturae verbis plures sensus saepe litterales reperiri. Ita D. Augustinus expresse lib. 12. confessionum, cap. 18. 19. & 20. lib. 11. de Civit. c. 9. lib. 3. de Doctrina Christiana, c. 27. D. Thom. 1. part. quae 1. art. 10. & quodlibet. 7. art. 16. & de potentia, quae 4. art. 1. Ita etiam Abulens. D. Anton. Bañez, Zumel, Pessanti. Molina, Valentia, Andreas à Cruce, Philippus à sanctissimae Trinitate, Azor, Bellarm. & innumeri alii, quos citant, ac sequuntur Franciscus à Jesu Maria de sensibus sacrae Scripturae, Payva in Doctrinali sacra Scriptura, tom. 1. lib. 1. cap. 3. num. 6.

144.

Probatur ratione, quia ad dignitatem sacrae Scripturae, maxime pertinet, ut sub una lite-

ra multi sensus contineantur; ergo ita de f. D. Thom. & illos continet. Antecedens est D. Thomae quae 4. in potentia, Praeclarissima est dignitas Scripturae, dum uno verbo multas sententias dicit, ac comprehendit, & ita scriptura maxime ostenditur fecundissima mysteriorum. Confirmatur, quia in hoc maxime manifestatur immensa Dei potentia, ac sapientia, quae uno verbo suo multa, & alta arcana declarat, ac revelat; nam Deus unico verbo suo aeterno se totum, & omnia dicit, ita poterit uno verbo suo scriptio multa, & abditaperire, ut docet D. Augustinus lib. de Doctrina Christiana, c. 27. ergo ita factum est, ut maxime Divina Majestas elucescat.

D. Thom.

145. Isai. 53.

D. Hieron. D. August. D. Chryl. D. Cyrill. D. Bern. D. Justin. D. Paschal. Carthus.

Quod multis exemplis sit manifestum: Primum, Isaias 53. num. 8. de Christi generatione, ait; Generationem ejus quis enarrabit? Quod de Generatione aeterna exponunt D. Hieron. D. August. D. Chyloft. D. Cyrill. Jerosoly. D. Thom. & alii. E contra alii gravissimi Patres, ut D. Leo, D. Epiphanius, D. Bernardus, D. Justin. Martyr, D. Paschal. Carthusian. in d. & etiam D. Augustinus, D. Hieron. ad literam de Generatione temporali interpretantur, quos omnes citavi tom. 1. in Evangel. lib. 1. cap. 2. num. 10. & 11. Sicut & illud Osee 11. num. 1. Ex Aegypto vocavi filium meum, quod ad literam dicitur de Israel, qui dicebatur Dei filius: Filius meus es tu primogenitus Israel. Et iterum. Dimitte filium meum, ut serviat mihi. Exod. 4. num. 21. Et tamen in sensu sublimiori, & altiori à D. Matth. 2. num. 15. interpretatur de Christo Domino, Ita D. Chyloft. D. Hieron. Euthym. D. Chyloft. Paschal. & alii multi, quos citavi tom. 1. in Evangel. lib. 2. cap. 7. quae 14. n. 58. & 59.

Math. 2.

D. Hieron. Euthym.

146. Psalm. 2.

Veniens celebris locus in hac re, ex Psal. 2. n. 7. Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod de Generatione aeterna exponit Apostolus Hebraeor. 1. num. 5. Cui Angelorum dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et pulchre verbo praeterito Genui, adjungitur adverbium praesentis hodie, quia in illa generatione aeterna, Pater semper generavit, ac de praesenti generat.

147. Acto. 13.

Secundo De resurrectione Christi explicat idem Apostolus, Acto. 13. n. 33. Resuscitatus est, sicut in Psalmo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Cum enim ab instanti periculo liberati sumus, recte dicere solemus: Ego hodie natus sum; & qui tali liberationi operam dedit, optime dicere poterit: Fili ego hodie genui te. Sic David cum regnum penè amissum, morte Absalonis, stabilivit, dixit 2. Reg. 19. Regum 19. n. 22. An ignoro hodie me factum regem super Israel? Et huic expositioni, Ego hodie genui te, statim adjungitur in Psalmo: Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra. Quod Christus post resurrectionem praedicatione suorum Apostolorum est consecutus.

148. Hebr. 5.

Tertio De Christi sacerdotio interpretatur idem Paulus ad Hebraeos 5. nu. 3. Christum à Patre constitutum fuisse sacerdotem, dicens: Christus non semetipsum clausit, ut Pontifex ferret, sed qui locutus est ad eum, dicens Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pro cujus intelligentia advertendum, quod secundum legem sacerdotium ad primogenitos spectabat; inde optime inferit Apostolus, ex eo quod Christus



Christus sit à Deo genitus, & primogenitus, quod sit verus sacerdos, & quod sacerdotium ad ipsum spectet, & ut idem Apostolus in alio loco ex Davide probat Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; quo factus est in cæna, dum panem, & vinum Deo libavit.

149. Ecclesia. Quarto. De generatione temporali, hanc expositionem tenet Ecclesia sancta; nam in prima Missa Nativitatis, ejus introitus est: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Nam Christus, qui homo Spiritus sancti opera, & ab Spiritu sancto conceptus est, & in hoc sensu dici potest genitus à Deo; & sic frequenter ipse Deum Patrem suum dicebat: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Matth. 26. Ita ex mulorum sententia docet Theophylact. ad cap. 1. Matth. & ait: Neque obstat illud hodie liquidem Angelus dixit: Evangelizo vobis gaudium magnum quia natus est vobis hodie salvator mundi.

150. Alius locus sit ex cap. 53. Isaiæ num. 4. Verè linguas nostros ipse tulit: & livore ejus sanati sumus. Quod de corporis morbis intelligit D. Matth. cap. 8. num. 16. dicens; Ejiciebat spiritus verbo; & omnes malè habentes curavit, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam, &c. Et de animi languoribus interpretatur D. Petrus in sua Epist. 1. cap. 2. n. 24. Qui peccata nostra ipse per tulit in corpore suo super lignum: Cujus livore sanati estis. Et Apostolus 1. Corinth. 15. num. 3.

Ad argumentum adversariorum dicimus per multiplicem sensum literalem non tolli firmitatem scripturæ, non enim dicimus sub disjunctione, verbi gratia, Spiritus sanctus voluit denotare hoc, aut illud, vel aliquid tertium, & tunc talis disjunctio tollit firmitatem, & unus sensus reddidit infirmum alium & ideo syllogizandi ratio à disjunctiva, apud dialecticos ex valde infirma. Sed asserimus Spiritum sanctum in tali loco istum, & illum sensum tertium, & quartum immediate voluisse intelligi à nobis, ita ut quilibet sensus sit verus, certus, & determinatus, & est argumentum, & copulativa propositione ad quamlibet ejus partem.

155. Ad confirmationem dicimus, quod in scriptura, multa sunt loca, quæ multiplicem habent sensum literalem. juxta mentem sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Evangelistarum, ac sanctorum Patrum, ut satis est dictum, quod ex ipsa serie contextus benediscernitur ex antecedentibus, & subsequentibus.

An verò aliquando sensus literalis proprius cum literali metapharico sub eadem litera reperitur?

154. Affirmativè respondeo, cum Abulensi 9. 28. ad c. 13. D. Matth. Cornelio à Lapide in Proæmio super Prophetas majores, canon. 5. Philippus à sanctissima Trinitate 1. part. quæst. 1. Antonio à Matre Dei in Isagoge scripturæ, præludiv 3. dub. 11. § 2. num. 102. Et probatur ex diffinitione sensus literalis: nam hic est, qui immediate significatur per verba in acceptione propria, vel metapharice sumpta, observata serie

textus, sed hac benè observata, potest aliquid in eodem loco significari sumendo verba in acceptione propria, & simul in metaphara; ergo poterunt simul illi duo sensus proprius, & metapharicus reperiri. Minor, in qua est tota difficultas ostenditur ex proximè citato loco Psalmi: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sensus proprius literalis intelligitur de generatione æterna, ac temporali; ac cum ab Apostolo assumitur ad probandam Christi resurrectionem, videtur sensus metapharicus, cum resurrectio, seu liberatio à morte per generationem explicatur; generatio enim significat primam hominis productionem, cum ergo per illam explicatur resurrectio, sermo metapharicus est.

An detur aliquis locus in Scriptura, in quo non sit sensus literalis, sed tantum spiritualis.

Dicendum est quod in omni loco sacre Scripturæ datur sensus literalis, & super ipsum sensum literalem, anquam fundamentum, erigimus, & construimus sensum spiritualem. Ita D. Hieron. in illud Abdæ, n. 2. Parvulum dedi te. Sic ait sanctus Doctor: In interpretatione prophætica debemus ordinem nostrum sequi, ut primum historia fundamenta jaciamus; deinde si possimus, excelsas turres, & cæterorum culmina suberigamus. Idem habet lib. 1. in Isaiam, & lib. 5. in eundem Prophetam ad illud, cap. 13. num. 19. erit Babylon. & super, cap. 40. Ezechielis, & D. Gregor. in Prolog. 1. in Jobum, cap. 3. ait: Primum fundamentum historia ponimus, deinde per significationem typicam, in arcem fidei fabricam mentis erigimus. Et idem habet homil. 2. in Ezechielem. Similiter D. Augustinus tom. 3. lib. 8. de Genesi ad literam, cap. 7. D. Thomas 1. part. quæst. 102. art. 1. & quæst. 6. de potentia art. 7. & quodlibet 3. art. 5. & alii multi Patres & Doctores, quos citant, ac sequuntur Rua tom 2. controvers. 9. dub. 3. Payva lib. 1. cap. 4. Lahay Prolog. in Bibliam Maxim. sect. 11. cap. 2. §. circa alteram. Nostri Benavides de Methodo exponendi Sacram Scripturam disp. 9. dub. 4. Andreas à Cruce 1. part. quæst. 1. num. 242.

Et omissis multis rationibus, ac unica probatur conclusio; sensus literalis, ut patet ex ejus diffinitione supra num. 136. desumitur ex immediata significatione verborum, sive in propria, sive metapharica, seu figurata acceptione, ex Spiritus sancti intentione; sed nullus assignabitur locus sacre Scripturæ, cujus verba non significant aliquid immediate aliquo ex prædictis modis scilicet vel proprie, vel metapharice; ergo nullus est locus, qui non habeat sensum literalem. Confirmatur, quia ex opposita sententia sequitur magnum absurdum, multa loca sacre scripturæ carere omni sensu, ac proinde esse inutilia. Probatur, quia juxta sanctos Patres proximè citatos, totum fundamentum sensus spiritualis est sensus literalis; ergo si talis sensus, seu fundamentum non datur, nec dabitur sensus spiritualis; & sic erunt multa loca absque ullo sensu, & propterea inutilia.

Oppositam sententiam, quod detur locus in

in sacra Scriptura, quod nullum habeat sensum literalem, tenet Lyranus Prolog. 3. ad suam postillam Zumel. 1. p. 94. art. 7. q. 7. & ait: ubi litera omnino nobis dissonat, semper sensus literalis, spiritualis est. In hac sententia videtur fuisse Origenes homil. 2. in Genesim, parum antequam Argumentantur, quia multi Patres, ut Divus Hieronymus Epistol. 2. ad Nepotianum, & alii Patres videtur docere in figuratis locutionibus Scripturæ, non literæ, sed spiritui esse insistentium, & in illis mysticum sensum esse inquirendum. Quod confirmant primò ex illo Matth. 8. num. 8. S. manus tua, vel pes tuus scandalizat te, absconde eum, &c. ubi nec pes, nec manus præcipitur abscondi à Christo. Deinde in Apologia, valde absurdum videtur querere in illis sensum literalem, ut illo Judic. 9. num. 6. Ierunt ligna ne ungerent super se vegetem. Et confirmatur secundò, quia Apostolus 2. Cor. 3. num. 6. ait: Literam occidere; ergo si omnibus literalis sensus querendus est, ruina, & occisionis causa dabitur.

Respondetur quod quando Patres docent in figuratis locutionibus non esse literæ, sed spiritui insistentium, non est eorum mens, quod in his figuris non sit sensus literalis, sed tantum volunt docere, quod in talibus figuris non sit inhaerendum in cornice literæ, nec tantum in voce, ac significatione grammaticali, sed in profundis est sensus absconditus, & abstrusus, & talis sensus, qui sub figuris, ac metapharicis latet, est sensus literalis, ut jam explicavi supra num. 138. cum Christus dicitur Leo, Agnus, &c. & ideo ad testimonia Scripturæ allata, dicimus quod per manum, vel pedem vel intelligunt cum D. Hieronymo, animi affectus qui nos docent huc, & illuc; vel cum D. Augustino, Divo Hilario, Divo Paschasio & aliis, amici, consanguinei, qui nobis inserviunt, tanquam manus, & oculi quos citavi tom. 2. in Evang. cap. 13. quæst. 3. ubi de hac re dedi septem expositiones. Id quod dicitur de rege constituto à lignis, est elegantissimus, ac antiquissimus apologus, quo Joaham arguit Sichimitas, quod inique, & impiè gesserint, cum tyrannum Abimelech in regem crearent Cæcis 70. fratribus suis. Ita Lyran, Abulens, Carthusian.

Ad confirmationem dicimus, quod cum Apostolus ait: Litera occidit, spiritus vivificat. Per literam non intelligit sensum literalem, nullus enim sanctorum Patrum talia dixit. Per literam intelligit legem veterem, ac docent ibi D. Chryl. D. Ambros. D. Remig. D. Thomas, D. Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 4. Num Moyses cum legem dedit, literam tantum dedit. At Christus cum legem dedit spiritui; & dicitur litera, seu lex scripta occidit, quia cum Apostolus hæc scribebat, lex erat mortua, & mortifera, & occidebat. Vel etiam per respectum ad suum tempus antiquum dicitur, litera occidit, quia ut exponunt D. Augustinus, D. Anselm. Lyran. Cornelius: occasionaliter nempe, nam lex magnam multitudinem præceptorum inducebat, & inde concupiscentiam, & peccatum excitabatur, quod occidit animam.

159. Ad confirmationem dicimus, quod cum Apostolus ait: Litera occidit, spiritus vivificat. Per literam non intelligit sensum literalem, nullus enim sanctorum Patrum talia dixit. Per literam intelligit legem veterem, ac docent ibi D. Chryl. D. Ambros. D. Remig. D. Thomas, D. Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 4. Num Moyses cum legem dedit, literam tantum dedit. At Christus cum legem dedit spiritui; & dicitur litera, seu lex scripta occidit, quia cum Apostolus hæc scribebat, lex erat mortua, & mortifera, & occidebat. Vel etiam per respectum ad suum tempus antiquum dicitur, litera occidit, quia ut exponunt D. Augustinus, D. Anselm. Lyran. Cornelius: occasionaliter nempe, nam lex magnam multitudinem præceptorum inducebat, & inde concupiscentiam, & peccatum excitabatur, quod occidit animam.

Sylveira Opuscula.

Ex qua ratione multiplex literalis sensus provenit?

Primò ex suprema, & infinita sapientia Dei, quæ uno verbo multa comprehendit, dicit, ac significat, ut jam dixi supra num. 142. & 143. secundò ex vocibus Hebraicis, quæ sunt valde ambiguae, & multiplicem reddunt sensum, ut communiter notant Interpretes cum D. Hier. lib. 1. Apologia, contra Rufinum cap. 5. ubi ait, Quæ res diversa interpretationis materiam præbuit, dum unusquisque inter dubia, quod sibi consequentius videtur, hoc transferat. Quod probat ex illo Psalmo 2. Apprehendite disciplinam, quod ob ambiguitatem vocis Nascubar, quadrupliciter explicatur, ut ibi Interpretes, Incognitus Nolter, Lorin, & alii.

Tertio desumitur ex variis punctis Hebræorum, in suis literis, quæ varias significationes efficiunt, ut notat idem Hieronymus. epist. 125. ad Damasum. Quarto. Si contingat in Textu Hebræo haberi unum sensum, & editionem Septuaginta alium diversum continere, maxime considerandum an in aliquo illorum textus sit corruptus, si verò evidentibus, & probabilibus rationibus invenitur utrumque textum esse legitimum; tunc sub eadem litera credendum est, quod multiplex sit sensus intentus ab Spiritu sancto, ut docet Divus Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 15. tom. 3. & lib. 18. de Civitate, cap. 43. tom. 5. Et hoc fecit, & nos suo exemplo docuit facere D. Hieronymus, qui in translatione Scripturæ multa desumpsit ex Textu Hebræo, multa ex lectione Septuaginta tanquam ex oraculo divino, ut observant Lahay tom. 1. Prologom. in Biblia Max. sect. 11. cap. 7. n. 7. Fr. Antonius à Matre Dei Prelud. 3. dub. 10. n. 98 § 5. contingat. Et hoc maxime in Psalmis, ac Prophetis.

Quintò, ex diversa disjunctione, ac positione punctorum, valde diversus sensus desumitur, verbi gratia. Illud Joan. 1. num. 5. si Joan. 1. legatur: Omnia per ipsum facta, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Et postea puncto dicitur, in ipso vita erat. Sensus est, omnia ab ipso verbo esse facta, & nihil esse quod à verbo non sit factum. Ita Divus Chrysostomus, Divus Hieronymus, D. Nazianzenus, Divus Irenæus, & alii multi Patres, quos citavi tom. 1. in Evangel. lib. 1. c. 1. num. 47. E contra alii gravissimi Patres aliter legunt, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil; & puncto interposito, Quod factum est, in ipso vita erat. Ita D. Augustinus, D. Hilarius, D. Cyrillus, D. Thomas, Tertullianus, & alii, quos citato loco num. 46. adduxi, ac sic dicitur, quod est factum in ordine ad salutem generis humani, ut Incarnatio Verbi divini, Mors, Passio, Resurrectio, ac sanctificatio nostra, in ipso Filio Dei factum est qui est omnium vita, & salus. Ac si dicat Evangelista, in prima periodo egi de rebus in ordine ad esse naturale, in secunda verò in ordine ad esse supernaturale, ac salutem nostram. Vide quæ dixi eodem cap. 1. citato n. 5. & 6.